



1727.

26. Hebenstreit, Franz Trivarius: De speculati historico.

27. Hommel, Ferd. Aug.: De his, quae ex officio seu

praei expedienda sunt ab actuario.

28. et Hommel, Ferdin., Augst: De differentia exigua
inter testamentum mortis et testamentum
pugni in testis conditione. 2 Saemph.

29. Zacharius, Georg Aug.: De pertinentiis a praedictis
sine oneribus separatis.

30. Zacharius, Georg Aug.: De successione gerdae iuxta
formam domicilii instituenda.

31. Zacharius, Georg Aug.: De censu constituto et reser-
vativo.

32. Haestner, Abraham: Testamentum in causis mati-
monialibus recte, etiam negativae deferri.
Simulque allegari sua aeterna intimat.

33. Haestner, Abraham: Invis canonici quaedam
paradoxa.

1727.

34. Haesherus, Abrahamus: De acquitate et usu practico
legis uel. C. de fideicommissis. junct. Sult. Inst.
de fideicom. haeret.
35. Haesherus, Abrahamus: De matrimonio copula
carnali et sacerdotali consummato, ob dolum
attributum, annullando.
36. Hertke, Gottlieb: De jure, quod natura omnia
animalia docuit.
37. Hengius, Fridericus: Delectus militaris praestiter
habendus disputando repetitus.
- 38^{1^{te}} Play, Georgius Christophorus: Ita in homicidio
sectis et inspectis cadaveris necessaria sit?
2 Exempl.
39. Play, Georg Christoph: De commutabilitate.

theo

sk.

cula

ma

a

ter

is

72

1741

4 1/2

DISSERTATIO IVRIDICA
DE

1727/200

DIFFERENTIA EXIGVA INTER 3
TESTAMENTVM MILITARE ET
TESTAMENTVM PAGANI
IN HOSTICO CONDITVM

QVAM
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
CONSENSV

(14 1/2)

PRAESIDE

DN. FERDIN. AVGVST. HOMMEL
PHIL. ET V. I. D.

HOSPITE PATRVELE ET PRAECEPTORE
AETATEM DEVENERANDO

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

D. XIV. NOVEMBR. MDCCXXVII.

A. ET R.

BENIAMIN GOTTFRIED HOMMEL
ERFVRTENS.

LIPSIÆ

LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.

G. Prof. Kistner

DISSERTATIO IURIDICA
DE
DIFFERENTIA EXIGVA INTER
TESTAMENTVM MILITARE ET
TESTAMENTVM RAGANI
IN HOSTICO CONDITVM

MAGNIFICI HONORIS
PRAESIDE
DN. FERDIN. ALEX. HOMMEL
HOSPITE PATRIBUS ET PRÆCEPTORIBUS
ARTVM DVM
BENJAMIN GOTTFRID HOMMEL

LITTELL ANDRÆ MARTINISCHON

Dr. Hof. Richter

PER-ILLVSTRI
ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DE
FISCHERN
DYNASTAE
IN
LIEBENSTEIN ET WENIG-SCHWEME
SERENISSIMI DVCIS SAXO-
MEINVNG. ET COBVRG.
CONSILIARIO STATVS INTIMO
NEC NON
PRAEFECTO MAGNO
RELIQVA

ICTO. SVMMO
PRINCIPIS DELICIO
CIVIVM SOLATIO
VIRO

DE VTRAQVE REPVBICA IMMOR-
TALITER MERITO

MAECENATI OPTIMO MAXIMO
PATRONO NVLLO NON HONORIS CVLTV AD
VRNAS VSQVE DEVENERANDO
DOMINO SVO GRATIOS. LONGEQVE INDVL-
GENTISSIMO

HASCE THEMIDIS PRIMITIAS

QVA DECET

ANIMI SVBMISSIONE OFFERT

SVMMO ELVS PATROCINIO SE SVAQVE
STVDIA HV MILLIME COMMENDANS

Cliens devotissimus

RESPONDENS.

S V M M A R I A.

- I. In testamentis militum remissa sunt omnes solennitates.
- II. Differt testamentum militare a testamentis in prociectu.
- III. Extensum est privilegium militare ad paganos quoque in hostico testantes eosque omnes.
- IV. Qua lege primum hoc privilegium ad paganos extensum fuerit, non est satis expeditum.
- V. Extensum est tamen ad paganos hoc privilegium in totum, ita ut nulla fere inter testamentum militare & pagani in hostico intersit differentia.
- VI. Magnam tamen inter utrumque hoc testamentum subesse differentiam vulgo docent.
- VII. 1) Differentia.
- VIII. Quid sit in expeditione esse.
- IX. Gemina lectio verbi: hosticum, hoc loco non investiganda.
- X. In hostico degere, & in expeditione esse idem sunt.
- XI. Dista rationibus Corroboranda. 1) ratio, quod apud auctores hosticum non denotet conflictum ipsum, aut proxime instantem.
- XII. Id quod ulterius deducitur.
- XIII. Neque hosticum certe in L. fin. D. de test. mil. & L. unic. D. de bon. poss. ex test. mil. denotat terram hostium.
- XIV. 2) Ratio a paritate rationis.
- XV. 3) Ratio a natura privilegiorum.
- XVI. 4) Ratio ab exemplo simili.
- XVII. Rationes contrarie refelluntur. 1) Ratio ex L. 42. D. de test. mil.
- XVIII. Respondetur dubio ex L. 1. & 15. C. de test. mil.
- XIX. Respondetur dubio ex §. 3. J. de mil. test.
- XX. 2) Ratio contraria ex L. 20. pr. D. de test. mil.
- XXI. 3) Ratio dissentientium ex L. 16. C. de test. mil.
- XXII. Consentit hic nobiscum Glossa ad L. unic. D. de bon. poss. ex test. mil.

XXIII.

- | | |
|--|--|
| XXIII. II. <i>Differentia.</i> | XXXI. VII) <i>Differentia.</i> |
| XXIV. <i>Conciliatur hac differentia</i> | XXXII. VIII) <i>Et reliqua Differen-</i> |
| <i>Ida</i> | <i>tia.</i> |
| XXV. <i>Respondetur objectioni.</i> | XXXIII. <i>Differentia ultima eaque</i> |
| XXVI. <i>Novo occurritur dubio.</i> | <i>genuina.</i> |
| XXVII. III) <i>Differentia</i> | XXXIV. <i>Vox hosticum non scribe</i> |
| XXVIII. IV) <i>Differentia</i> | <i>nimis hic sumenda est.</i> |
| XXIX. V) <i>Differentia.</i> | XXXV. <i>Epilogus.</i> |
| XXX. VI) <i>Differentia.</i> | |

CORRIGENDA.

Pag. 4. lin. 10. pro *Julis* lege *Julius*. pag. ead. lin. 26. pro *ac* lege *ab*. pag. 6. lin. 24. pro *D. Berger* lege *de Berger*. pag. 7. lin. 5. pro *Tit. 1.* lege *Tit. 15.* pag. 8. lin. 1. pro *Summum* lege *Sunnam*. pag. 10. lin. 30. pro *Vallam* lege *Vallum*. pag. 11. lin. 3. pro *dimidius* lege *timidius*. pag. 13. lin. 14. pro *hosticum* lege *hostium*. pag. 15. lin. 19. pro *plenisime* lege *plissime*. pag. 17. lin. 26. expunge *ipsi*. ead. pag. lin. 28. pro *confugimus* leg. *confugiamus*. pag. 18. lin. 2. pro *secula* lege *seculum*. pag. 20. lineam 30. lege hoc modo: *idem in alio, qui non sit miles dum tamen sit in expeditione*. pag. 21. lin. 6. pro *pertinere* lege *pertineant*. ead. pag. lin. 11. pro *inabilem* lege *inabilem*. pag. 24. lin. 9. pro *potuit* lege *potuerunt*. Reliqua quæ curam nostram subterfugere, supplebit Benevoli Lectoris humanitas.

I. Nulla

I.



Ulla fere est in toto nostro jure magis vexata, pluribusque Romanorum subtilitatibus involuta, quam hæc ipsa, de qua tradere quædam jam animus est, testamentorum materia. Hinc tot de testamentis in foro litigia, in Lycæo controversiæ & distinctiones. Summa tamen testamentorum divisio fere hæc est, quod alia sint publica, alia

privata, hæcque iterum vel solennia vel minus solennia. Solennia sunt testamenta, quæ ad exemplum atque similitudinem veterum testamentorum antiquissimis temporibus a Romanis in Comitibus conditorum (de quibus legi meretur *III. THOMAS* in *Diff. de primis initiis successionis testamentariæ apud Romanos* cui & jungi potest, altera de sensu legis *decemviriæ testamentariæ*.) fiunt. Inde enim est quod in testamentis istis septem adhibendi sint testes §. 3. *Inst. de Testam. ordinand. L. 12. C. de Testam.* Quod testes isti debeant esse rogati. *L. 21. §. 2. D. qui testam. facere poss. L. 21. pr. C. de Testam.* Quod debeant sponte adesse, non coacti, *L. 20. §. final. D. Qui test. fac. poss.* Quod simul debeant omnes adesse §. 3. *J. de Test. ordin.* Quod debeant esse Masculi. §. 6. *J. de Test. ordin. & puberes cit. §. 6.* Quod testamentum debeat fieri uno contextu. *L. 21. §. fin. D. qui test. fac. poss. L. 28. pr. C. de Testam. R. J. d. a. 1512. Tit. XI. §. 7.* & id genus alia. In quibus vero solennitates hæc Romanorum remissæ sunt, testamenta dicuntur minus solennia, seu privilegiata, quo pertinet testamentum militare, testamentum parentum inter liberos, testamentum rusticum, testamentum ad pias causas. Nullum autem horum omnium magis est privilegiatum, quam testamentum militare, in quo non solennitates

A

quæ.

quædam ut in plerisque aliis, sed omnino omnes sunt remissæ, ita ut milites in expeditione constituti liberrime, & fere unice secundum juris Gentium principia ultima sua elogia condere possint. Militibus enim quoquo modo velint, & quomodo possunt testamenta facere concessum est, ut Jctus ait in *L. 40. pr. D. de Test. milit.* Adeo ut si quid in vagina aut clypeo litteris sanguine rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo, rata sit eorum voluntas. *L. 15. C. de Test. Milit.* Duplex ejusmodi testamentum militare exhibet nobis BALDUINUS in *Commentar. ad Inst. Tit. de Milit. Test.* alterum Sempronii notis conscriptum (hæc enim adhiberi poterant in testamento militis *L. 40. pr. D. de milit. test.* secus ac in pagani *L. 6. §. f. D. de Bonorum Poss.*) Romæ repertum, alterum in Lusitania relictum a Jocondo VIII. Kal. Quintil. bello Viriatio.

II. Cum hocce testamento militari non est confundendum quod olim in usu erat testamentum in procinctu. Fiebat enim hoc antiquissimis longe temporibus, & adhuc ante Leges XII. Tab. vid. III. THOMAS. *Disp. de primis initiis success. testamentarie apud Romanos.* §. 7. Priscis enim temporibus & antequam LL. XII. Tab. conderentur, testamenta non aliter fiebant, quam in comitiis calatis. Quodsi vero accidisset, ut in castra & prælium exeundum esset eo tempore, quo comitia nulla erant, testamentorum horum causa nulla quoque convocabantur, comitia enim nulla fiebant propter testamenta, sed hæc, comitiorum alia de causa convocatorum erant quasi appendix. vid. III. THOMAS. *cit. Disp. de primis initiis success. testamentarie apud Romanos.* §. 16. Dn. HELNECCIUS *Antiq. Rom. ad Inst. Tit. de Test. ordin.* §. 2. & *subjecta not. (a).* HOTTOMAN. in *Comment. ad §. 1. Inst. eod. Tit.* Ne igitur hoc casu exeuntes in prælium ibidem intestati forsitan decedere cogerentur, permissum erat, ut in procinctu jam stantes & secutis manus inferentes, togamque præcingentes simul etiam tribus aut quatuor audientibus heredem suum

nunt.

nuncupare possent, teste PLUTARCHO in *Coriolano*. Atque testamentum ejusmodi dicebatur testamentum in procinctu vel etiam militare. Cum autem postea liberior esset testandi facultas latis XII. Tab. LLbus, per quas latissima potestas data fuit quomodocunque testandi, ut POMPONIUS ait in *L. 120. de V. S.* In iis enim *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelæ rei sue ita jus esto*; scriptum fuisse refert nobis ULPIANUS *Tit. XI. §. 14.* Hinc quod ab initio solis in procinctu stantibus atque in prælium excituris unice permittebatur, jam omnibus erat commune, ita ut pagani æque ac militantes omni tempore absque ulla solennitate quomodocunque vellent, ultimam suam voluntatem condere possent. Attamen hæc libera testandi potestas diu admodum durasse non videtur. Cum enim postea Patricii ut potestatem legislatoriam invitis plebejis sibi solis vindicarent, variis uterentur fraudibus, potissimum vero jura certa & plana ad decipiendam plebem variis involuerent subtilitatibus, (inde legum actiones, hisque a Cn. Flavio divulgatis novæ agendi formula & notæ conf. *Illustr. THOMAS. Nev. Jurispr. antejustin. L. 1. c. IV. & V. It. Delineat. Historie Jur. §. 10. sqq. ibique Excell. Dn. HOFFMANN. §. 5.*) testamentis quoque certam dabant formam, concessamque LLbus. XII. Tab. liberrimam testandi facultatem multis iterum subtilitatibus varie restringebant. Per imaginariam enim familiæ emtionem testamenta nunc erant condenda, adhibito libripende & familiæ emtore, testibusque præterea quinque Populum Rom. in calatis comitiis repræsentantibus &c. Vid. *III. THOMAS. Diss. de Sensu L. Decemviralis testam.* Dicebanturque ita testamenta per as & libram. Quamvis autem postea Prætoris beneficio solennitates istæ maximam partem iterum fuerint remissæ, tamen cum hæc forma prætoria nimis facilis atque soluta postmodum videretur, plura iterum admiscuit Jus civile, quibus adjectis demum in unam consonantiam cepit Jus Civile & Prætorium jungi juxta formam & modum, quem tradit

dit Imperator in §. 3. *f. de Testam. Ordin.* ubi nonnullæ quidem solennitates testamentorum per æs & libram fuerunt remissæ, pleræque tamen potissimum veterem formam condendi testamenta in Comitibus repræsentantes, remanserunt. Hæ igitur testamentorum subtilitates & solennitates novæ, novo quoque privilegio militibus iterum concedendo dederunt occasionem, ut milites absque ulla solennitate quomodocunque vellent & possent suam condant ultimam voluntatem. Hoc enim permiserunt ipsis Constitutiones Imperatoriæ. Primusque hoc privilegium dedit Julius Cæsar, quamvis tantum ad tempus, hunc secuti postmodum Titus Domitianus, Nerva, Trajanus, alique vid. *L. 1. pr. D. de Testam. Milit.* Atque hoc ipsum est, de quo præsentè Dissertatione nobis sermo est, testamentum militare, a testamentis istis antiquis in procinctu omnino diversum.

III. Quod ab initio solis militibus per Principum Constitutiones datum erat testandi privilegium, id postea ex benigna interpretatione ad omnes etiam paganos extensum est, horumque testamenta, modo in hostico ea condant, & suo ibidem sanguine obsignent *L. fin. D. de Test. mil. L. unic. pr. D. de bonorum poss. ex test. Mil.* Veniunt autem paganorum nomine omnes qui veri milites non sunt, cujuscunque sint generis aut conditionis. Dicuntur a pago quod aliis in prælia exeuntibus in agris suis ad eosdem colendos olim relinquenterentur, seu ut HUBERUS vult in *Prælect. ad. f. de Test. mil.* quia milites emeriti castris valedicentes ac Imperatoribus in pagis ad colendos agros sibi donatos collocarentur, ita ut producto dein vocisusu omnes ἀπόλεμοι & ἀστράτεοι pagani vocati fuerint. Plura vocis etyma vid. ap. HARPRECHT. *Disp. de Testam. pagani in hostico condito thes. 2. 3.* Alias quoque pagani hi appellantur privati, plebeji, togati, quirites. &c. Ad hos igitur privilegium militare extensum est, eosque omnes, non solum eos, qui ex necessitate quadam officii in castris degant, ut Præsides provinciæ, Legatos, (hi enim exem-

exempli tantum causa sistuntur in cit. *L. fin. D. de Test. milit.* & *L. unic. pr. D. de bonor. poss. ex test. mil.* Concionatores (Feld-Prediger) Consiliarios (Kriegs-Räthe) Medicos (Stabs-Medicos) Chirurgos (Feld-Scheer) Auditeurs, Fahnens-Schmiede &c. Sed omnes etiam illos, qui ex libera voluntate, aut sui commodi & lucri causa in hostico reperiuntur. Nam & hi jure militum singulari ommissis omnibus solennitatibus ultimam voluntatem recte condunt. v. c. qui in castris sunt, ut preces Principi offerant, mercatores victualium (Marchetenders), qui suis sumtibus militiam sequuntur (Volonteurs) Comiss Mähger &c. Militum quoque uxores ad hujus beneficii *nona vice* merito admittimus, imo eorum concubinas ut & qui alias turpis libidinis causa in hostico degunt, meretrices, quamvis tales in castris esse Legibus Imperii prohibeantur. *vid. des Zeil. Röm. Reichs Reuter-Bestallung. d. a. 1576. Art. XLIII.* idque ob verba *L. fin. D. de bonorum poss. ex test. mil.* Omnes omnino qui ejus sunt gradus ut jure militari testari non possint &c. quæ tam sunt generalia, ut nullam prorsus exceptionem vel limitationem admittere videantur.

IV. Equidem qua lege primum hæc extensio privilegii militaris ad testamenta paganorum facta fuerit non adeo est expeditum. Si inspiciamus *L. unic. pr. D. de bon. poss. ex test. mil.* Jctus Ulpianus ejusdem possit videri auctor, in ipsa hac *L. cit. unic.* ubi rationes factæ hujus extensionis latius exponit atque commemorat, sicuti nec alias insolitum est, ut constitutiones singulares a veteribus Jctis ad alios interdum casus propria auctoritate porrigantur & extendantur. Verum contrarium hic docet *L. fin. D. de test. mil.* ubi ad rescripta Principum expresse provocat idem Ulpianus verb. *rescripta Principum ostendunt, omnes omnino qui ejus sunt gradus &c.* Quis autem Principum primus hanc interpretationem introduxerit omnino non constat, cum de hocce paganorum privilegio præterquam in duobus istis Ulpiani textibus ut puta *L. fin. D. de testam. mil.* & *L. unic. pr. D. de bonorum poss. ex test.*

test. mil. nullum fere in toto jure nostro deprehendatur vestigium. Juliani tamen tempore paganorum hoc privilegium nondum obtinuisse perquam probabile est *ex L. 20. pr. D. de test. mil.* Ubi Tribunos militum, qui acceptis successoribus tanquam pagani in castris adhuc remanent jure militari testari posse negatur.

V. Quicquid horum sit, hoc tamen certum est privilegium hocce eodem prorsus modo quo militibus hodie quoque competere omnibus paganis, sicuti enim hi, nisi in castris & hostico testentur, hujus beneficii participes haud sunt, ita & illi nisi in expeditione sint constituti privilegio isto non gaudent. Equidem communiter magnam quærent inter utrumque hoc testamentum, militare puta atque pagani in hostico conditum, differentiam, & minus hoc casu tributum esse paganis quam militibus, unanimiter contendunt, indeque maxime sunt solliciti de requisitis veri militis, ut hujus privilegii possit esse particeps, ubi duo potissimum in eo desiderant, 1) ut sit in numerum militarem relatus h. e. rotulis, catalogo albo & matriculus inscriptus daß er geworben, auf den Muster-Platz geführt, in eine gewisse Compagnie eingestellt. &c. 2) Ut sit militari sacramento obstrictus, daß er zum Bähnlein geschworen habe. MYNSINGER *ad rubr. §. de test. mil. n. 5.* MEIER *in Colleg. Argent. ad Tit. de test. mil. §. 3.* STRYCK *caut. test. c. IX. §. 3.* Perillustr. Dn. D. BERGER *Oec. Jur. L. II. T. IV. §. 5. not. (2).* TITIUS *in Jure priv. L. VII. C. X. §. 4.* HOPP. *in Comm. ad §. Tit. de test. mil. pr. not. (1).* SCHÖPF. *ad Tit. D. de mil. test. n. 3.* LAUTERB. *Tit. eod. ENENCKEL de privilegiis milit. L. I. c. 4. n. 8.* Hinc quærent quoque & disputant an tyrones lecti hoc privilegio quoque gaudeant, aut qui in eo statu sunt ut confestim in numeros referantur. STRYCK *Caut. testam. C. IX. §. 3.* An hoc privilegium militare pertineat quoque ad milites togatos seu quasi milites, ut Doctores, Advocatos, clericos, Equites Rhodienses, Teutonicos, Hispanienses, item ad Scriniarios, medicos, mercatores, appa-

apparitores, exauctoratos, seu qui per sedecim annos stipendia meruerunt, veteranos qui juramento soluti & a militia prorsus dimissi sunt, ad milites qui stipendiis in pace & orio fruuntur, ad milites vagos seu circumforaneos (*Greyreuter Herren Iose Knechte* ut dicuntur in *R. J. d. ao. 1521. Tit. 15.*) *Vid. STRYCK. Cant. l. c. MEIER Colleg. Argent. ad Tit. de test. mil. §. 4. Gloss. ad L. 6. D. de re judic.* Enimvero omnis ista operosa sollicitudo certe in praesenti quaestione fere videtur frustranea, jus enim quod in condendis minus solennibus testamentis competit militibus id ipsum etiam in totum datum est paganis. Utrique enim si in castris sint absque legitima observatione pari prorsus modo recte testantur, ita ut nulla fere sit inter testamentum militare & testamentum pagani in hostico conditum differentia, id quod praesente dissertatione pluribus comprobare animus est. Faxit Deus feliciter.

VI. Equidem contrarium hic Doctores ad unum omnes unanimiter docent, & magnam esse inter testamentum militare atque pagani in hostico conditum differentiam uno quasi ore clamitant, multumque hic praepaganis, militibus indultum esse tam unanimi consensu scribunt, ut nemo haecenus ne hiscere quidem contra ausus fuerit. Quo igitur communior est haec doctrina, eo major adhibenda est sollicitudo in ea refellenda. Omnia igitur momenta, in quibus aliqua inter utrumque hoc testamentum differentia a Doctoribus quaeritur, aut quaeri posse videtur, ordine discutiemus, sedulo daturi operam, ut nihil omnino, quod ad communem istam doctrinam facere videtur, intactum praetermittamus.

VII. Potissimam autem differentiam collocat in eo, quod testamentum pagani non aliter jure militari valere dicant, quam si in hostico sit conditum, per *L. fin. D. de test. mil. & l. unic. pr. D. de bon. poss. ex test. mil.* cum e contra in militis testamento ut in hostico condatur necesse non sit, sed in genere si in expeditione sit factum sufficiat. Quemadmodum

dum vero in hoc summum & quasi cardinalem vulgo quæ-
runt differentiam, ita in ea destruenda maxima adhibenda est
solicitude, hac enim sublata reliquæ omnes facilius multo &
sua quasi sponte corrunt. Hic igitur ut distincte proceda-
mus, primo loco, quid sit in expeditione esse, dein quid in
hostico degere curatius paulo investigabimus, ut denique
ex dictis, utrum discrepent hæc duo inter se, an vero con-
veniant, fieri possit iudicium.

VIII. Denotat vero expeditio generaliter quemvis
statum belli, & in expeditione occupati (ut loquitur Imper-
ator in *pr. f. de mil. test.*) dicuntur non solum illi qui sunt in
ipsa acie atque conflictu, sed omnes qui quomodocunque
expediti sunt ad confligendum cum hoste, quodocunque
casus ingruat, sive hostem prosequantur, sive eundem immi-
nentem expectent, sive mari sive terra, vel ut invadant, vel
invasurum propulsent. Quod enim Imperator in *pr. f. de
test. mil.* dixerat de iis, qui in expeditione sunt occupati, mox
§. 3. *ead.* de his prædicat qui militant & in castris degunt. Et
in *L. ult. C. Quibus non obj. long. temp. præscrip.* qui in exp-
ditione sunt opponuntur iis, qui sunt in ædibus suis vel simili
loco alio, ita ut expeditio totum illud tempus complectatur,
quo milites in armis procedunt, aut adversus hostem stant,
& in expeditione esse nil aliud denotet, quam esse in armis
atque castris seu paratum pugnare cum hostibus, zu Felde, in
Campagne seyn. HARPRECHT. *Tr. de Success.* P. 1. Tr. III.
c. 4. §. 76. n. 6. & in *dissert. de Testament. pagani in hostico condi-
to* th. 72. 73. STRYCK. *de cautel. testam.* C. IX. §. 4. VULTEJ.
Commentar. ad pr. Inst. Tit. de test. mil. BOCER. *L. 1. tit. 20. n. 5.*
BURGER *Centur. I. Obs.* 42. p. 87. BRUNNEM. *ad L. 17. C. de
test. mil.* VINNIUS *ad pr. Inst. de test. mil. n. 2. verb. itaque ex-
peditio non est conflictus ipse* CARPZ. *L. 6. Resp. Elect.* 14. n. 12.
FRANTZK. *ad pr. f. de mil. test. n. 13.* RICHTER *decis.* 38. n. 10.
seq. CARDIN. *de LUCA in theatr. Verit. & Just. Tr. 1. P. 1. Disc.*
28. n. 9. DONELL. *ad L. 17. C. de Test. Mil. n. 2.* LANGIUS
in sign.

in sign. juris quest. Decat. 5. theor. 2. p. 191. FINCKELTHAUS
obf. 46. n. 28. Quemadmodum vero in hoc omnes conve-
 niunt, ita prolixiori vocis interpretatione merito hic superse-
 demus, ad alterum potius quod explicandum nobis summus
 quodque plus habet difficultatis, *hosticum* puta, nos accingentes.

IX. Equidem an rectius dicatur *hosticum*, ut legitur in *L. fin. D. de test. mil.* an vero *hosticulum* ut habetur in *L. unic. de bon. poss. ex test. mil.* vel *hostilis locus* ut vult *Glossa ad dict. L. unic.* vel *hostilicum* vid. *Gloss. ad L. fin. D. de test. mil.* item quæ lectio libris Florentinis conveniat, has inquam & similes quæ-
 stiones in præsentiarum non morabimur, potius de re ipsa &
 vero vocis significatu unice solliciti. Vid. interim de illis
 HARPRECHT *Diff. de Test. pagani in hostico condito. thes. 59.*
 NOODT *Probab. jur. Civ. L. II. c. IV.* BRISSON. *Lexic. jur. verb. Hosticulum.* MAYNARDUM *L. 5. Decis. 17. n. 2.* LU-
 DOV. RUSSARD. in *not. marg. ad h. L. unic. D. de bonor. poss. ex test. mil.* ELBERT. LEONINUM *L. 1. Emend. c. 15. n. 13.*
 & denique erudite differentem *Dn. van BYNCKERS-
 HOECK Obf. L. IV. C. XX p. 422. sq.*

X. De vocis vero hujus proprio significato si evolvas in-
 terpreses, quamvis *hosticum* differre ab expeditione unanimi
 consensu doceant, tamen quid sit *hosticum*, & in quonam
 ab expeditione differat, mirifice inter se dissentiunt. Multi so-
 no tantum vocis contenti, paganos non in expeditione ut
 milites, sed tantum in *hostico* testari posse tradunt, quid au-
 tem sit *hosticum* nullibi indicant. Alii vocis explicationem
 quidem addunt, sed, ut dixi, multifariam. Omnes interim
 interpretationes istas summo studio collectas vide *apud HARP.
 cit. Diss. thes. 60. sqq.* Summa horum omnium fere eo redit, ut per
hosticum aut intelligant locum seu terram *hostium*, aut, quod
 faciunt plerique, pugnam, aciem, atque conflictum vel ipsum
 vel præsentissime instantem. Hisce tamen omnibus merito nos
 mittimus repudium, per *hosticum* potius intelligentes castra
 & id ipsum quod alibi per expeditionem indigitatur, ut adeo
hosticum quando de paganis prædicatur, eum, ipsum statum

B

&

& locum denoter, quem expeditio, quando de militibus dicitur. In hostico enim degere nihil est aliud quam in castris esse, zu Felde in Campagne seyn. Quod autem Ulpianus in *L. fin. D. de mil. test. & L. unic. pr. de bon. poss. ex test. mil.* ubi de hoc paganorum privilegio agit, non tam verbo expeditionis, quod alias frequentius est, quam hostici utatur, non ea subest ratio, quod hosticum sit status aut locus ab expeditione diversus, sed quod expeditio de paganis proprie dici non possit, milites enim tantum in expeditione sunt h. e. expediti ad configendum cum hoste (quæ est vis hujus vocis) nunquam vero pagani, licet hi simul cum expeditis iisdem in castris eodemque in hostico degant.

XI. Sed hæc ita dixisse non sufficit, dicta potius rationibus sunt comprobanda, atque in vim vocis, verumque ejus significatum curatius paulo inquirendum. Est autem hoc verbum proprie adjectivum - hosticus, hostica, hosticum, ac idem denotat, quod hostilis, hostile, vid. FABRI *Thesaur. Erud. Schol.* & SCHARDII *Lex. jurid. voc. hosticus*. Substantive autem, uti in sæpius cit. *L. nostr. fin. D. de test. mil. & L. unic. pr. D. de honor. poss. ex test. mil.* rarius usurpatur. Reperitur quidem illud apud PLINIUM in panegy. c. 29. Quippe non ut ex hostico rapta perituraeque in horreis messes, ne quicquam queritantibus sociis auferuntur. Occurrit quoque aliquoties apud LIVIUM ut Lib. VI. Romanis contra etiam in hostico morandi erat causa, ut hostem ad certamen elicerent. Item Lib. VIII. sine commeatu vagi milites in pacato in hostico errent, immemores sacramenti, licentia sola se ubi velint exauctorent; & paulo post. Lib. eod. Castra in hostico incuriose ita posita, tanquam procul abesset hostis, cum subito advenere Samnitum legiones tanta ferocia ut vallam usque ad stationem Romanam inferrent. Porro Lib. XXVIII. Quod in hostico laxius rapto sociis vivere arctiores in pace res erant. Similiter Lib. XXIX. Romani quoque Imperatores L. Lentulus, & L. Manlius Acidinus ne glisceret prima negligendo bellum: junctis & ipsis exercitibus per agrum Ausetanum hostico tanquam pacato clementer

ter ductis militibus ad sedem hostium pervenere. Denique *Libr. XXXIII.* Cum primo pauci deinde in dies plures desiderarentur, infamis esse Boeotia omnis cepit & dimidiis quam in hostico egredi castris miles. Præter memorata autem hæc loca hosticum substantivè positum vix unquam deprehendes. In hisce autem locis omnibus ne jota quidem deprehendo, quod velificari possit communi opinioni, qua statuunt hosticum ipsum denotare conflictum, aut ejus præsentissimum periculum, ut Doctorem plerique hoc verbum interpretantur, & uti præter laudatos ab HARPRECHTO *cit. Disp. thes. 65. 66.* hanc vocem accipit *Illustr. Dn. STREIT Disp. de Testamento militis*; ibi: *Etiā illi, qui in hostico i. e. in ipso conflictu, in acie, aut in procinctu, vel in tali loco, ubi præsens & summum ab hostibus imminet vitæ, discrimen, deprehenduntur ibidemque decedunt, licet non sint milites, privilegio militum gaudent.* Nec non FRANCISC. BARRY, qui in *Tractatu de Successionibus. L. I. T. V. n. 4.* ubi de hostico agit, ita inquit: *In acie & procinctu fieri dicitur, quod sit in procinctu ipsius congressus & prope concinentibus rubis.* Ut & *Per-Illust. Dn. de BERGER qui in Oecon. Jur. L. II. T. IV. §. 5. not. 2.* Pagani, inquit, *qui in hostico i. e. in acie, aut in procinctu decedunt. &c.* Imo ipse HARPRECHT postquam omnes Doctorem de hostico sententias latius commemorasset, demum in *thes. 72.* ita concludit: *Esse in procinctu, in hostico, in hosticulo, & esse in expeditione, multum inter se differunt. Esse in hostico, versari in procinctu, propius & præsentius periculum involvit, quam esse in bellica expeditione &c. & in thes. seq. 73.* denique addit: *Atque hæcenus insignis inter milites testatores & tales paganos differentia occurrit; hi enim non aliter privilegiis hisce gaudent, quam si sint constituti in procinctu, in acie vel simili conflictu, præsentaneo belli discrimine.* Jam ipse judica, Erudite Lector, an horum quidquam reperiatur in supra cit. locis Plinii atque aliis, & annon potius ista loca omnia huic interpretationi e diametro sint contraria. In *Libr. VII.* apud Livium dicitur, quod Romani in hostico morati fuerint, ut hostem

ad certamen elicerent. Ergo hosticum non est certamen ipsum, aut tempus ei proximum, quo e castris ad pugnam & conflictum itur. In Lib. VIII. XXVIII. & XXIX. hosticum opponitur pacato it. paci, jam vero paci opponi nequit ipse conflictus, & certamen, sed omnis status belli, & omne omnino tempus, quo milites in castris degunt. In eod. loco cit. Lib. XXIX. dicuntur milites per hosticum ducti ad sedem hostium pervenisse, ibidemque ut sequentia verba docent trium milium spatio procul a castris, castra sua posuisse, & cum per legatos nec quicquam esset tentatum ut discederetur ab armis, imo impetus repentini interea in Romanos fierent, tunc demum & ita post longum intervallum quam milites per hosticum ducti erant summissum esse a statione & castris equitatum Romanum & proelium commissum. Luce meridiana hic clarius est hosticum non necessario ipsum conflictum denotare, aut e castris in aciem exitum, sed eo quoque tempore milites in hostico esse, quando primum in bellum & castra procedunt & quando hostis procul adhuc abest & e longinquo, ut dicitur *cit. Lib. VIII.* ubi castra nondum sunt posita, & ubi tentatio pacis atque amicabile compositionis adhuc speratur. Quis non videt quam parum patrocinentur adducta loca (quæ tamen unica fere sunt quæ de hostico agunt) communi opinioni, quod hosticum sit conflictus ipse, aut certe præsentissime instans.

XII. Inquis: Sed neque tu, pro stabilienda tua hypothese, quod in hostico esse idem sit ac esse in expeditione, in locis modo adductis quidpiam poteris reperire; Equidem multum, quod ad stabiliendam nostram hypothesein facere videtur, ibidem deprehendi & ipsa locorum sobria inspectio, & dicta Sphi præc. poterunt commonstrare. Verum sit ita, fingamus neque nos in his vel ullo alio loco quidpiam invenire, ex quo colligi possit, quod in hostico esse idem denotet ac esse in expeditione, nobis tamen sufficiat, dissentientes certe quam prætendant inter hosticum & expeditionem differentiam

tiam nullo textu, nec ratione ulla evincere posse. Quodsi enim an, & quatenus hosticum ab expeditione differat judicari non queat, frustra certe sunt dissentientes, dum differentiam aliquam sibi fingunt, ubi nulla est, cum præter necessitatem entia non sint multiplicanda, potius quod ad paganos extensum est militare privilegium, in dubio eodem his quo ipsis militibus modo, concedendum, nec citra justam causam & probabilem rationem limitandum, quod tamen ab omnibus factum hæcenus fuisse, satis est in apico. Atque hæc vel sola ratio sufficeret ad confutandos adversarios, etsi reliquæ deficerent omnes. Sunt tamen aliæ adhuc multæ.

XIII. Ad has antequam progrediamur, prius satisfaciendum est iis, qui per hosticum intelligunt terram vel solum hosticum, & qui in allegatis supra Plinii & Livii textibus quoddam forte præsidium invenisse sibi videbuntur. Tuetur autem istam interpretationem præter citatos ab HARPRECHTO *Disput. de Testam. Pagani in hostico condito Thes. 60. 61. 62.* Inter alios quoque ÜLRICUS HUBER. in *Prælect. ad Inst. Tit. de Test. mil.* Inquit enim: *Eadem ratio efficit ut omnibus, qui in hostili solo versantur, nec tamen servi sunt hostium eadem libertate testari liceat, quomodo velint & quomodo possint. &c.* Equidem si dicendum quod res est, multum in supra citatis locis deprehendo, quod huic doctrinæ patrocinari posse videtur, imo auctores hosticum pro terra hostili aliquando usurpassè, perquam probabile est. Quo minus tamen in nostra lege fin. D. de test. mil. & L. unic. pr. de bon. poss. ex test. mil. hosticum pro loco & terra hostium accipere queamus multæ subsunt rationes. Ut ex pluribus unam saltem attingam: Ex ista acceptione duo sequerentur maxime absurda, atque a mente Ulpiani & Imperatorum prorsus aliena. Unum; quod hoc supposito peregrinatores (passagiers) quoque & quilibet alius, qui extra castra in solo hostium moriatur, testari possit jure militari, cum tamen nulla appareat ratio, quare privilegium militum ad eos sit extensum, qui nul-

lam prorsus cum militibus habent convenientiam, & paria non cum illis experiuntur pericula, quæ tamen expresse supponuntur in *L. unic. pr. de bon. poss. ex test. mil.* Alterum absurdum est, quod interpretatione ista admittitur, si in terra patria & non in solo hostium castra sint posita, qui in iis moriatur paganus, jure militari testari non possit, etsi in ipsa acie atque conflictu ibidem decedat, quod iterum non videtur convenire menti Ulpiani, cum qui in castris degunt eadem cum militibus pericula experiantur sive castra in terra hostium sint posita, sive in solo patrio, ut adeo in hoc differentiam quandam Ulpianum quævisse probabile non sit.

XIV. Ad priores vero nunc revertimur, qui per hosticum ipsam aciem atque conflictum intelligere malunt, his enim, quia maximam dissentientium partem absolvunt, præ ceteris est occurrendum. Per hosticum igitur in hac inspectione non tam ipsam aciem præsentemque pugnam aut tempus saltem ei proximum, sed in genere castra, & omnem statum belli intelligendum esse, inter alia quoque ex ratione extensi ad paganos privilegii conspicitur. Ait Ulpianus: *Qui in procinctu versantur, cum eadem pericula experiantur, jura quoque eadem merito sibi vindicant. L. unic. pr. D. de bonor. poss. ex test. mil.* Ratio igitur indulti paganis privilegii est paritas periculorum, jam vero non tantum in ipso conflictu sed omni belli tempore paria qui in castris sunt pagani, cum militibus experiuntur pericula, ut adeo ex dicta lege ita quasi subsumere possimus: Ubicunque paria cum militibus pericula adsunt, ibi paria quoque ratione testamenti minus solenniter condendi jura obtinere debent. Atqui pagani non solum in ipso conflictu, sed omni belli tempore, ubi in castris degunt, eadem cum militibus experiuntur pericula, ergo eadem quoque jura omni belli tempore merito sibi vindicant. Equidem non diffiteor argumentationem a paritate rationis deductam rarius procedere, & propter solam rationis paritatem legem aliquam ad casum in ea non expressam trahendam
haud

haud esse. In dubio tamen & quatenus restrictio nulla in lege ipsa deprehenditur, ob generalitatem rationis ipsam quoque legis dispositionem generaliter accipiendam esse, non est quod dubitemus. Imo Ulpianum in *c. Leg.* non tam specificè ad ipsum conflictum in hoc casu respexisse, vel exinde conjicio, quia alias quod pagani eadem cum militibus pericula experiantur dicere vix potuisset. In ipsa enim acie atque pugna haud dubie majoribus difficultatibus & pluribus vitæ periculis expositi sunt milites pugnantes, quam pagani durante pugna & acie in castris relictæ.

XV. Accedit & hoc quod Principis privilegia latissimæ sint interpretationis, & in dubio plenissime, hoc est ita accipienda, ut quam plurimum tribuant contra jus commune. *III. BOEHM. ad. Tit. D. de Const. Princip. §. 10.* Cum igitur verba nostri privilegii quam maxime sint dubia, & utrum hosticum ipsam pugnam & aciem, aut omne expeditionis tempus denotare debeat, liquido non constet, hinc ad tempus pugnae & aciei privilegium hoc unice restringendum haud est, potius verba ista plenissime h. e. ita sunt interpretanda, ut omnimodam testandi facultatem æque ac militibus ipsis non modo durante acie, sed omni expeditionis tempore paganis largiantur.

XVI. Nec denique prætermittendum esse censeo rationem ab exemplo petitam. Quodsi enim privilegium per *L. fin. C. de test. & R. F. d. anno 1512. Tit. II. von Testamenten. §. 2.* in condendis testamentis rusticis concessum ad omnes quoque eos, qui ruri testantur, etiam si cives sint & oppidani, æqualiter & citra ullam limitationem communiter extendunt, idque privata auctoritate, & tantum ex præsumpta Legislatoris voluntate, quare non etiam privilegium hoc militare æquali ratione & jure concedamus omnibus, qui cum militibus in castris versantur pagani, quibus tamen id concedendum esse, expresse voluerunt leges publicæ. Et quamvis exempla regulariter non probant, nonnulla tamen quan-

quandam vim habent demonstrationis, *vid. Celeb. RÜDIG. in sensu Ver. & Fals. L. II. C. X. §. 7.* Est quoque apud Aristotelem quoddam argumentandi genus quod *παράδειγμα* (exemplum) audit. *Prior. Analyt. L. II. c. 24.* Addit certe quodvis exemplum probabilitati aliunde jam stabilitæ aliquid adhuc roboris.

XVII. Fuere rationes quapropter a communi doctrina, quod in hostico esse, & esse in expeditione inter se differant, merito recedendum esse existimavimus. Nunc brevibus adhuc satisfaciendum est rationibus contrariis, quæ aliquam esse inter hosticum & expeditionem differentiam suadere adhuc videntur. Et primo quidem speciosum admodum est dubium, quod suppeditat *L. 42. de Testam. mil.* ejusdemque tenoris aliæ, in quibus studiose inquiritur in requisita veri militis, quæ desiderantur si jure militari testari quis velit, atque a militibus tyrones, scriniarii, qui in numeros relati non sunt, in hac quæstione sollicite distinguuntur, manifeste, ut creditur indicio, esse inter milites & inter paganos in hostico testantes differentiam haud exiguam, siquidem leges verum militem a tyrone scriniario reliquisque tam sollicite distinxisse non frustra præsumendæ sint. Verum, est cit. *Lex 42. ex Ulpiano*, & adeo prior longe Justiniani temporibus. Jam vero ante Justinianum utique erat inter milites & paganos testatores magna hoc casu differentia; Milites namque non solum in expeditione & castris uti pagani, sed ubique etiam extra castra quodocunque vellent, testari poterant, expresse enim hanc privilegii militaris restrictionem ad tempora expeditionis sibi vindicat Justinianus *in pr. §. de Test. mil. & L. 17. C. eod.* Ulpianus vero ubi *in Tit. XXIII. §. fin.* de hoc militari privilegio agit, de expeditionis tempore nihil addit, sed milites jure militari & absque legitima observatione quodocunque testari posse generaliter asserit. Igitur tunc temporis magna omnino erat adhibenda sollicitudo, ut miles verus a tyrone, aliisque paganis probe distinguere.

gueretur, quia ille ubicunque & quodocunque vellet jure militari testari poterat, hi non aliter quam in castris & hostico. Postquam vero jure novo a Justiniano militare quodque privilegium ad tempora expeditionis esset restrictum, exæquata in tantum videntur jura militum & paganorum, & omnis adeo ista sollicitudo quinam verus sit miles, quive non, certe in præsentē quæstione fere videtur frustranea.

XVIII. Sed novis iterum hypothesis ista premitur difficultatibus. Scil. militare hoc privilegium non a Justiniano demum sed jam olim ante eum ad expeditionis tempora adstrictum fuisse patere videtur ex *L. 1. & 15. C. de Test. mil.* quamvis enim illa sit Antonini, hæc Constantini, & sic utraque longe Justiniano prior, expeditionis tamen expresse in istis sit mentio, atque in castris & expeditione demum militem jure militari testari posse, utraque præcipit. *Voluntas militis in expeditione occupati, pro jure servatur* dicitur in *L. 1. & milites in expeditione degentes quomodocunque possunt & velint testentur* Constantinus ait in *L. 15.* Equidem possemus hic cum SCHULTINGIO in *Jurisprud. Anteq. p. 648.* WISSENBACHIO in *Emblemat. Tribon. ad h. l. 1.* DONELLO *Commentar. L. VI. C. 28.* GIPHANIO *ad. d. L. 1.* JANO A COSTA *ad pr. §. de mil. Test.* verba ista Triboniani emblematis annumerare, quasi ab hoc demum legibus hisce contra mentem Imperatorum verba ista fuerint adjecta, huic enim & addere, & detrahare verba quædam constitutionibus Imperatorum ubi id commoditas exigeret, permisit ipsi Justinianus, in *Constitutione de novo Cod. faciendo. §. 2.* Verum non opus est ut ad subsidiariam istam confugimus hypothesis, potius probabile videtur, verba ista prorsus non esse authentica, adeoque neque Imperatoribus ipsis, neque Triboniano adscribenda, sed potius subsequentibus temporibus ab interprete quodam privato ex *pr. Inst. de Test. mil.* textibus istis adjecta, siquidem in Codicibus antiquis verba ista non reperiuntur. Ruslardus certe de suis MSS. testatur ea

C

verba

verba abesse in omnibus, neque agnovit ea Accursius ut adeo demum post Accursii secula eadem adjecta fuisse perquam sit probabile. *conf. & Meier in Colleg. Argent. ad Tit. de Test. mil. §. 3.* Instas; ea quæ diximus omnia admitti quidem posse de L. cit. 1. e contra vero ad L. 15, profus non pertinere quippe in qua verba ista *in expeditione degentes* ubique leguntur. Tenendum igitur hic est, phrasin istam in expeditione degentes in jure nostro latius quandoque accipi, pro omnibus iis, qui actu adhuc milites & a militia nondum dimissi sunt, quo sensu in expeditione constituti a Justiniano opponuntur veteranis in L. *fin. pr. C. de inofficiosis test.* sicuti & eadem ratione Veteranis, qui in castris sunt opponit ULPIANUS *Frag. Tit. XXIII. §. fin.* Atque in hoc laxo significato Constantinus quoque verbis istis haud dubie usus est in nostra L. 15, qua interpretatione admissa corrui tota vis hujus objectionis.

XIX. Est desuper & alius textus, isque ipsius Justiniani, qui dissuadere videtur, quo minus ante Justinianum ubivis & omni tempore jure privilegiato milites testari potuisse existimemus. Scil. In §. 3. *f. de mil. test.* ait Imperator: *Sed hæcenus hoc illis* (militibus) *a principalibus constitutionibus conceditur, quatenus militant, & in castris degunt.* Per constitutiones enim Principales forsitan intellexit constitutiones Antecessorum suorum & forte modo dictas constitutiones Antonini & Constantini in L. 1. & 15, C. de Test. mil. Enimvero in dict. §. 3. Imperatorem cit. Leg. 1. & 15. non respexisse nec respicere potuisse ex iis quæ §. præc. diximus abunde poterit intelligi. Per constitutiones igitur principales Imperator haud dubie hic intellexit constitutiones proprias in L. 17. C. de Test. mil. & L. *fin. C. de restit. mil.* & L. *fin. C. quib. non obj. longi temp. prescrip.* quas cunctas anno 529. & sic quadriennio ante Institutiones Justinianus noster promulgaverat.

XX. Atque ita satis, ut puto, factum videtur primæ objectioni contra doctrinam nostram ex L. 42. D. de Test. mil.

de-

desumptæ vid. supra N. XVII. novum vero se offert dubium in L. 20. pr. D. de Test. milit. *Tribunus militum si intra dies certos quam successor ejus in castra venerat manens in castris codicillos fecerit, & ibi decesserit: quoniam desinit militis loco haberi, postquam successor ejus in castra venerit, ideo communi jure civium Romanorum codicilli ejus æstimandi sunt.* Negat hic Julianus Tribunum militum accepto successore in castris decedentem, quod militis loco amplius non sit, jure militari testari posse, ejusque potius codicillos communi Civium Romanorum jure æstimandos esse contendit. Re recte perpensa non nostræ saltim hypothese, sed communi etiam doctrinæ textus iste refragatur. Certe enim quandoque & durante ipsa acie paganos in castris jure militari testari posse plerique concedunt. Probabile igitur est tempore Juliani privilegium istud militare ad paganos in hostico decedentes, nondum fuisse extensum. vid. supra N. IV. Tribonianum vero legem hanc antiquatam & obsoletam incaute Corpori juris inseruisse, sicuti hujus incuriæ alia complura in jure nostro supersunt exempla, ubi jura vetera servata, nec ad juris novi rationem accommodata, contra intentionem Justiniani in L. 3. §. 10. C. de Vet. jur. euucl.

XXI. Sed quid faciemus legi 16. C. de test. mil. *Scrinarios vel apparitores qui Virorum Magnificorum, Magistrorum militum jussionibus vel actibus obtemperant, etsi nomina eorum matriculis militaribus referri videantur, nullatenus tamen in ultimis a se consiciendis voluntatibus juris militaris habere facultatem decernimus.* Est hæc lex lata ab imperatore Anastasio, adeoque multo post, quam privilegium illud militare cum paganis erat communicatum, & tamen Imperator ibi negat qui actu milites non sunt, in ultimis a se consiciendis voluntatibus juris militaris habere facultatem. Nihil habemus quod responderi hic possit, nisi quod hic quoque textus non nostræ tantum sententiæ, sed communi quoque contrarietur doctrinæ, adeoque ex eo argumentum quoddam adversus nostram in

specie hypothesin a dissentientibus defumi haud queat. Paganos quandoque saltim & dum in hostico deprehenduntur jure militari testari posse uno ore fatentur omnes, & expresse habetur in *L. fin. D. de test. mil.* nec non *L. unic. pr. D. de bon. poss. ex test. mil.* & tamen Anastasius in *cit. L. 16.* Scriptorios & apparitores nullatenus jure militari testari posse præcipit. Ut adeo manifesta hic inter legem nostram 16. & *L. fin. D. de testam. mil.* antinomia evitari vix queat, nisi forsan de reliquis militum privilegiis aut de tempore pacis verba *cit. L. 16.* interpretari & ad loca extra castra prorsus restringere eadem velimus, quod tamen adjecta vocula nullatenus non commode satis ferre posse videtur.

XXII. Satis itaque probavimus hosticum non necessario pugnare & aciem ipsam denotare, aut tempus ei proximum, sed quovis belli tempore, quo quis versatur inter milites in castris, eum quoque esse in hostico, adeoque in hostico versari, & esse in expeditione inter se haud differre. Equidem contrarium unanimi consensu docent ad unum fere omnes, adeo ut nullum omnino reperire licuerit, qui non magnam inter testamentum militis in expeditione, & pagani in hostico conditum subesse differentiam acerrime contendat. Cum igitur de patrono sententiæ nostræ propemodum desperaremus, præter omnem tamen spem atque opinionem incidimus tandem in non levis momenti testimonium, quod præbet nobis glossa, quando verba *Legis unice D. de bon. poss. ex testam. mil.* In hostico, in prociñctu versari, ita explicat ut idem denotent ac in expeditione esse, atque ita cum interpretatione nostra plenissime conspirat. Verba ejus ad cit. Legem unicam hæc sunt: *Et quod dictum est in vero milite, idem in alio qui non sit, dum tamen sit miles in expeditione, jure militari poterit testari.*

XXIII. Absolvimus primam differentiam eamque cardinalem, quæ inter utrumque testamentum vulgo subesse creditur, ostendimus eam mere esse fictitiam. Progredimur nunc

nunc ad aliam. Scilicet, utrumque hoc testamentum & in eo possit videri inter se diversum, quod licet in paganorum in hostico decedentium testamentis æque ac in militum, solennitates omnes sint remissæ, reliqua tamen quæ testamentorum intuitu militibus competunt privilegia, ad hæc paganorum testamenta haudquaquam pertinere. Quo refero v. c. 1) Quod miles neque rite, neque ob aliquam causam liberos excludere debeat a legitima, sed eos quomodocunque velit, valide præterire possit, neque ejus ultima voluntas subiecta sit querelæ inofficiosi §. 6. *f. de exhered. liber. L. 9. 10. C. de test. mil.* 2) Quod personam alias inbabilem possit heredem instituere, excepto pænæ servo mortis temporali. *L. 13. §. 2. D. de test. mil.* 3) Quod ad tempus possit scribere heredem. *L. 15. §. 4. D. L. 8. C. de test. mil.* 4) Quod possit pro parte testatus pro parte intestatus decedere. *L. 6. L. 19. pr. D. de test. mil.* 5) Quod pluribus testamentis possit decedere, omnibus validis, modo constet testatorem hoc ita voluisse. *L. 19. D. de test. mil. conf. L. 35. eod.* 6) Quod liberis possit pupillariter substituere, etiamsi subimet ipsi testamentum non fecerit. *L. 15. §. 5. L. 41. §. fin. D. de test. mil.* 7) Quod possit pupillariter substituere liberis etiam emancipatis. *L. 41. §. 4. D. de test. mil.* 8) Quod liberis & cuicunque extraneo etiam ultra pubertatis annos in casum secundum sive substitutioni pupillari proprium directo possit substituere. *L. 15. D. de Vulg. & pupill. substit. L. 8. C. de Impub. & aliis substit. L. 5. D. de test. mil. Conf. SIMON DE PRÆTIS de Interpretat. ultimarum voluntatum. L. III. Interpr. II Dubit. I. Solus. 8. n. 13. CORNEUS ad L. 6. C. de test. mil. n. 9.* 9) Quod etiam ut filius familias testari possit de bonis castrensibus *pr. Inst. quibus non est permittum facere test. L. ult. C. de inoff. test.* 10) Quod ex militis testamento legata integra debeantur, absque detractioe falcidiae. *L. 3. §. 1. ad S. Trebell. L. 17. ad L. Falcid.* 11) Quod ejus testamentum per supervenientem capitis diminutionem non irritum fiat §. 3. *f. de mil.*

mil. test. 12) Quod etiam capite damnatus ex delicto militari de bonis castrensibus testari possit. *L. 11. pr. D. de Test. mil. L. 13. C. eod.* 13) Quod testari possit etiam furdus & mutus. *S. 2. f. de mil. test.* id quod olim pagani non poterant. 14) Quod miles etiam Codicillis hereditatem dare possit. *L. 36. pr. D. de test. mil.* 15) Quod jus accrescendi in testamento militis locum non habeat, nisi testator hoc ita voluerit. *L. 1. C. & L. 37. D. de test. mil.* 16) Quod testari possit licet de statu suo dubitet. *L. 11. S. 1. D. de test. mil.* & quæ sunt ejus generis alia.

XXIV. Possemus hic ad tuendam nostram hypothesin cum HARPRECHTO *Disp. cit. th. 52. & 105.* aliisque, paganos quoque in hostico testantes ad horum privilegiorum ~~nonnullorum~~ admittere, præsertim cum privilegia Principum latissimæ sint interpretationis. Enim vero ut dicamus quod res est, non videtur sententia ista rationi & economiæ juris satis consentanea. Ratio namque extensi ad paganos privilegii quæ est æqualitas periculorum, *vid. L. unic. D. de bon. poss. ex test. mil.* satis docet, ea tantum militum privilegia paganis ibidem esse indulta, quæ militibus concessa sunt propter pericula belli & vitæ discrimen, propter quod ipsis non semper est integrum septem convocare testes habiles, eosdem rogare, similiaque juris stricti solennia ad apicem observare. E contra vero reliqua militum privilegia quæ unice ob singularem militiæ favorem data censentur, ad paganos haud dubie non pertinent. Vide plura apud GÖFFREDUM DE SALAMIACO *ad L. unic. D. de bonor. poss. ex test. mil. n. 1.* His interim non obstantibus privilegia ista solis militibus præ paganis competentia non faciunt inter testamentum militare & testamentum pagani in hostico conditum veram differentiationem. Omnia enim privilegia ista haudquaquam sunt effectus testamenti militaris aut ab eo dependent. Neque omne testamentum militis, in quo his suis utitur privilegiis, statim est testamentum militare. Potest miles etiam extra castra & expe-

expeditionem adhibitis omnibus solemnitatibus jure communi testari, & tamen reliquis suis uti privilegiis §. praecedenti commemoratis (excepto forsan 12) propter *L. 11. D. de test. mil.* v. c. heredem ad tempus relinquere, liberis suis etiam emancipatis pupillariter substituere, tale etiam testamentum non subjacet detractiōi falcidiae &c. & tamen non est testamentum militare, quippe cujus essentia unice consistit in remissione solemnium tempore expeditionis, adeoque non plus tribuit militi in castris, quam pagano in hostico.

XXV. Equidem glossa ad §. *Sed haftenus.* 3. *J. de mil. test. lit. a.* in alia omnia ivit, quam secuti postmodum STRYCK *Caut. test. c. IX. §. 10.* SIMON DE PRÆTIS *de Interpr. Ultimar. Volunt. L. III. Interpr. II. Dubit. I. Solut. 8. n. 16. seqq.* alique plures. Docent enim militem reliquorum quoque privilegiorum non aliter quam si in expeditione, vel castris testetur, fieri posse participem. Verum sententia ista non est ita comparata, ut calculum mereatur, neque juri nostro ejusque oeconomiae satis est conformis. Namque primo restrictio privilegii militatis ad expeditionis tempora a Justiniano non est universaliter facta, sed privilegium sine solemnitate testandi solummodo respicit. In pr. enim & §. 1. *J. de testam. mil.* unice Imperator de remissis militi solemnitatibus agit, & demum in §. 3. (de §. intermedio 2. dicemus mox infra §. seq.) addit: sed haftenus hoc illis a Principalibus Constitut. conceditur quatenus militant & in castris degunt. De reliquis militum privilegiis nihil monet, adeoque in statu pristino ea relinquit quo miles ubique etiam extra expeditionis tempus uti iisdem poterat. Deinde quoque ratio factae restrictionis unice ad remissionem solemnium non ad privilegia reliqua quadrare videtur. Scilicet causa propter quam militibus datum est testari omiſſis omnibus solemnitatibus, non subest alia, quam vitae discrimen, & justa occupatio armorum, propter quam nimiam illam & miseram Romanorum.

manorum diligentiam ad unguem observare integrum iis haud est. *Vid. STRYCK. Cautel. Test. c. IX. §. 1. HUBER praelect. Inst. de mil. test. §. 3.* Hæc ratio cum cesset extra castra & expeditionem, recte etiam Imperator extra expeditionis tempora militibus privilegium illud denegavit. Reliqua e contra militum privilegia, cum unice respiciant favorem militum atque militiæ, hunc autem quovis tempore æqualiter mereantur, sive actu militent, sive non, ad expeditionis quoque tempora restringi ea haud potuit. Quid quod de quibusdam horum privilegiorum expresse proditum habemus, quod militi omni tempore etiam jure communi extra castra testanti competant, quo pertinet privilegium 9) (vid. supra §. 24) quod miles etiam filius familias testari possit de bonis castrensibus, hoc enim potest etiam in suis ædibus & extra castra per verba expressa *pr. §. de mil. test. & L. penul. D. eod.*

XXVI. Contra hanc sententiam non leve sumunt dubium dissentientes ex *L. 1. C. de test. mil.* Ibi enim postquam exposuisset Antonius quod miles pro parte testatus, & pro parte intestatus posset decedere, & quod in militis testamento jus accrescendi locum non habeat, nisi expresse id voluerit miles; Addit demum: Nam voluntas militis in expeditione occupati pro jure servatur. Restringit ita expresse Imperator hæc militum privilegia ad tempora expeditionis, ut adeo his vel similibus omni tempore uti eos posse verisimile haud sit. Verum huic dubio utur satis specioso facile tamen satisfieri poterit per dicta superius N. XVIII. Cum enim verba ista: In expeditione occupati neque ipsius sint Antonini, neque, ut alii volunt, Triboniani, sed potius ab interprete quodam privata auctoritate interpolata, non poterit ex his, quæ authentica non sunt, aliquod contra nos desumi argumentum. Ulterius tamen sententiæ nostræ obstare videtur. §. 2. *§. de test. mil.* In eo enim non agitur de jure testandi omnis solennitatibus, sed de alio longe militis privilegio, quod
fc.

sc. mutus & furdus miles testamentum facere possit, & tamen in seq. §. 3. Tribonianus subiungit: Sed haecenus hoc illis a Principalibus constitutionibus conceditur, quatenus militant, & in castris degunt. Hæc restrictio non solum ad ea quæ de testamento militari in pr. & §. 1. dixerat (ut putavimus nos §. antec.) sed potissimum ad §. immediate præcedentem 2. & datum in eo privilegium militibus furdis & mutis pertinere videtur. Enim vero verba ista restrictiva in dicto §. 3. non ad §. proxime præcedentem, sed ad dicta in pr. & §. 1. de testamento militari esse trahenda, §. autem 2. satis incaute a Triboniano hoc loco esse interpolatum, vel exinde conjicio, quod eo tempore, quo hæc scribebat Tribonianus: Surdum & mutum testari posse non amplius esset privilegium militum, postquam jam ante id omnibus indistincte indulserat Imperator in *L. 10. C. qui test. fac. poss.* Quod igitur pagani omni tempore & indistincte licebat, id non poterat ad expeditionis tempora restringi apud militem, qui semper & regulariter in testamentis melioris est conditionis quam togatus. potius luce meridiana clarius est restrictionem istam §. 3. unice pertinere ad pr. & §. 1. excluso penitus §. 2. uti jam supra §. præc. indicavimus.

XXVII. Ad novam nunc convertimur differentiam quæ nonnullis interesse videtur inter testamentum militare, & testamentum pagani in hostico conditum. Quod scilicet testamentum, quod quis ante militiam non jure h. e. non observatis legitimis solennitatibus fecerat, & miles postea factus adjiciendo, vel detrahendo aliquid, vel alias voluntatem suam declarando, approbat ex rescripto Divi Pii valeat tanquam ex nova militis voluntate. *L. 9. §. 1. L. 20. §. 1. L. 25. D. de test. mil. §. 4. f. eod.* Secus namque se habere id putant in pagano, huic enim permissum quidem esse in hostico more privilegiato testari, in *L. fin. D. de test. mil. & L. unic. sepius cit.* hoc est novum quoddam condere testamentum, non vero injuste antea factum rati habitione sua convalidare. vid. *VIGL. ad §. 4. f. de mil. test. n. 1.* Verum etiam qui aliquid addit vel detrahit novum facere videtur. *arg. L. 6. D. de f. & f.* Et, si quod antea fecerat injuste testamentum deinde quis repetat

& legitime declaret, quasi de novo ultimam suam voluntatem, condit. Cum igitur ratæ debeant esse voluntates eorum, qui in hostico suprema judicia sua quomodocunque ordinarunt *L. fin. D. de test. mil.* & pagani in hostico degentes eadem sibi jura, quæ milites merito sibi vindicent, *L. unic. D. de bon. poss. ex test. mil.* paganos in hostico æque ac milites ipsos injuste antea factum testamentum iterum approbare, & sic valorem quandam de novo ipsi conciliare posse nulli dubitamus. Consentit HARPRECHT *cit. Disp. thes. 80.* SCHULTZ *ad Tit. 7. de mil. test. VINNIUS ad §. 4. J. n. 1. tit. eod.*

XXVIII. Idem esto judicium de his quæ in *L. 15. §. 1. D. de mil. test.* militibus permittuntur, quod sc. nuda quoque voluntate hereditatem iterum adimere & testamentum antea rite factum sine ulla solennitate jure militari rescindere possint. Nam & hoc puto paganos posse si in hostico degant, ibideinque decedant. Quamvis enim his tantum permittatur jure militari testari in *L. fin. de test. mil. & L. unic. de bon. poss. ex test. mil.* tamen & qui prius testamentum rescindit ultimam voluntatem declarat, & quasi testatur heredesque legitimos ad legitimam iterum vocat hereditatem rumpendo testamentum prius quo a successione antea erant exclusi. Pariter & quæ sequuntur in *c. L. 15. §. 1. ad paganum* quoque in hostico decedentem pertinere crediderim, quod sc. si cancellarum, si inductum testamentum miles quacunque ratione pro valido rursus declaraverit, id ex sola ejus valeat voluntate, modo revocati ante testamenti revera eum poenituisse ex factis vel verbis sufficienter constet. Cum enim pagano in hostico degente quomodocunque velit, & quomodo possit testari liceat per *L. fin. & L. unic. D. sepius citat.* mutando quoque pristinum testamentum ultimam suam voluntatem absque omni solennitate valide declarare poterit.

XXIX. Nec forte differentia est querenda in *Constitut. Maximil. 1. d. a. 1522. Rubric. von Testamenten §. und sollen 2.* Ubi distinguit Imperator inter milites so zu Gelde und doch nicht am Streit seyn h. e. qui in castris quidem versantur, ubi tamen hostis non adeo in propinquo est, & inter milites so in Übung des Streits sind, h. e.

h. e. ubi conflictus revera adest, vel saltem in propinquo, v. c. si in periculosis expeditionibus constituti sint *conf. PHILIPPI Usus pract. Inst. L. II. T. XI. Eclog. 50. n. 7. STRYCK de Cautel. Test. c. IX. §. 12. HAHN ad Wesenb. Tit. de mil. test.* atque illis non aliter testamenti factionem permittit quam adhibitis duobus testibus. Etenim quamvis de militibus saltem hic dicat Imperator, posito tamen, quod paganis æque ac militibus omni expeditionis tempore more militari testari liceat, ut probavimus supra, haud dubie, quod de militibus hic dicitur ad paganos quoque pertinet, & neque hi poterunt testari aliter quam coram duobus testibus, si non sit pugna præsens, aut proxime expectetur. Quamvis enim de paganis in specie non loquatur constitutio Maximil., sed tantum de militibus Rittern (dictis ab officio weissen sie inögesamt ritterl. fechten sollen. *Vid. Per. III. DN. de BERGER Oecon. Jur. L. II. T. IV. §. 5. not. 3.*) tamen non poterit plus licere hoc casu paganis quam militibus ipsis, a quibus hoc privilegium ex benigna interpretatione demum ad paganos extensum est.

XXX. Sed forsitan in eo inter utrumque testamentum aliqua adhuc suberit diversitas, quod miles in militiam mox profecturus etiam domi jure militari testari possit, ut defendit MAYNARDUS *L. V. Dec. 17. n. 3.* quod tamen non poterit paganus. Equidem paganum antequam ad castra proficiscatur domi adhuc jure militari testari posse utique dubitamus, sed dubitamus quoque de milite vero. Testatur quidem Maynardus *loc. cit.* Parlamentum Tolosanum testamentum quod studiosus in bellum profecturus domi adhuc coram Capitaneo & majori apparitore sine solennitate fecerat, validum pronuntiasse. Verum tamen ejusmodi testamentum subsistere posse rectius negarunt VIGLIUS *ad §. 4. J. de mil. test. n. 2. & HARPREHT. dist. Disp. 1b. 80.* sicuti enim in pagano, ut in hostico degat, requiritur *L. fin. cit. & L. unic. D. de bon. poss. ex test. mil.* ita & in milite, ut in expeditione sit constitutus, necesse est, si jure militari testari velit. Ad expeditionis enim tempora hoc privilegium expresse restrictum est in *L. 17. C. de test. mil. & §. 3. J. eod.* Ex *L. autem penult. D. de test. mil.* ad quam provocat Maynardus, nihil probatur. Illa enim neutiquam agit de hoc nostro privilegio testandi absque solennitate, sed de longe alio, testandi sc. durante patria potestate, quod tamen ab hoc nostro longe est diversum, & militibus omni tempore & ubique

locorum etiam extra castra haud dubie competit, sicut probavimus supra N. XXVI.

XXXI. Pergimus ad novam quæ intercedere videtur inter utrumque hoc testamentum differentiam. Sc. ad testamentum militare præsumptiones etiam vel conjecturæ sufficiunt v. c. si reperiatur schedula nondum in chartam puram conjecta, vulgo est concept, vel verbis tantum enunciatis non dispositivis usus sit testator, & ejus generis alia, cum ad testamentum militis unice voluntas testatoris sufficiat. *Vid. MANTICA de Conject. ult. voluntat. L. VI. T. 1. n. 6.* Hæc autem in testamento pagani in hostico condito haud dubie non obtinent, cujus quippe non est tam sancte servanda voluntas, ac quidem voluntas militum. Verum, quemadmodum hæc neque de militum testamentis universaliter vera sunt, sed cum grano quodam salis accipienda, si sc. conjecturæ sint concludentes & probabiles, secus si dubiæ atque incertæ, quæ enim ad certitudinem voluntatis spectant, ea militi quoque remissa haud sunt. *conf. STRYCK Caut. test. C. IX. §. 9.* Ita in testamento pagani in hostico condito idem quoque juris esse arbitror, nam & huic æque ac militi ipsi permissum est, quomodo velit & quomodo possit testari, adeoque etiam per signa & indicia, ex quibus postmodum per probabiles conjecturas & præsumptiones de ultima ejus voluntate satis constare poterit.

XXXII. Judicium idem ferendum esse arbitror de reliquis, quæ potest miles vi sui privilegii & testamenti militaris intuitu, quatenus enim militibus ea permilla sunt, eatenus licet quoque paganis. Sic docent. v. g. quod milites etiam tempore induciarum, modo in castris sint jure privilegiato testari possint, id quod tamen denegant paganis in hostico deprehensis. *HARPRECHT Disp. cit. th. 81.* Quod milites in castello obfessi jure militari testari possint, *Per. III. DN. de BERGER Disp. de Privilegiis militum circa testamentum §. 29.* Quod milites qui a mandati ad oppugnandam arcem accedunt, vel alias ad confligendum cum hoste proficiscuntur, (welche in An-march vor eine Festung post zu fassen, oder sonst zu einer Attaque begriffen,) in via vel etiam in civitate per quam transeunt, jure militari recte testentur. Quod vice versa illi qui in hyberna dimittuntur, so in Rück-march in die Winter-Quartier begriffen quomodocunque velint testari possint. *Per. III. DN. de BERGER cit. Disp. §. 14.* Quod miles in conflictu lethaliter vulneratus,

tus,

tus, & extra castra in vicina loca exportatus jure militari ibidem recte testetur. STRYCK *Uf. mod. ad Tit. de Test. mil. §. 4.* Cuncta enim hæc, & hujus generis alia, aut in pagano quoque obtinent, si inter milites versetur, aut neque de milite vera sunt, sicuti enim pagano hoc privilegium tantum competit, si in hostico deprehendatur, ita & militi tantum datur, si in expeditionibus occupatus sit, quæ duo quod inter se parum aut nihil differant, offensum a nobis supra N. X.

XXXIII. Possemus nunc Disputationi nostræ colophonem imponere, nisi restaret ultima adhuc, eaque genuina inter testamentum militare & pagani in hostico conditum differentia. Consistit autem in eo, quod testamentum pagani in hostico factum non aliter valeat, quam si in hostico quoque testator decedat, statim vero exspiret, simul ac paganus ex hostico isto excesserit per *sapius cit. L. fin. D. de test. mil. & L. unic. de bon. poss. ex test. mil. verb. & illic decedant.* E contra vero militare testamentum semel in expeditione factum, extra expeditionem quoque valet omni tempore, & quam diu testator miles est, imo post missionem adhuc intra annum, modo missio fuerit honesta §. 3. *f. de test. mil. L. 5. C. eod. ULPIANUS Tit. XXIII. §. 10.* aut causaria *L. 26. pr. D. de test. mil.* secus si sit ignominiosa. *cit. L. 26. pr. D. de test. mil.* aut si acceptis successoribus testator militare designat, quod contingebat in Præfectis atque Tribunis *L. 21. D. de test. mil.* Hæc igitur differentia an genuina sit, an vero, ut de reliquis demonstravimus, ficta tantum & commentitia, breviter adhuc dispiciendum. Equidem possemus ad defendendam hypothesein nostram cum D. D. citatis ab HARPRECHT. *Disp. all. thes. 93.* defendere, quod testamentum pagani valeat atque subsistat ultra tempora expeditionis, etiam si testator in hostico non decesserit; Aut in milite quoque, ut in prælio isto decedat requirere, sicuti fecit CORNEUS, RIMINALDUS, ANGELUS de PERUS. & ALEXANDER DE IMOLA *ad L. 15. C. de test. mil.* GUIL. BENEDICTUS *ad Cap. Raynutius Verb. Testamentum p. 149. n. 21. X. de testam.* HACKELMANN *Disp. 16. thes. 13. Lit. g.* Hi enim si ex intervallo miles decesserit, ubi solenne testamentum condere potuerit, militare testamentum antea in expeditione factum valere negant. Verum ut nihil omnino hic dissimulemus, utraque ista sententia non videtur juri nostro satis consentanea. Prior namque manifesto pugnat cum *sapius cit. L. fin. D. de test. mil. & L.*

unic. pr. D. de bon. poss. ex test. mil. posterior vero cum *L. 5. C. de test. mil. & §. 3. 7. cod.* Quæ cum ita sint, dissiteri omnino non possumus. subesse hic veram aliquam, & genuinam inter testamentum militis & pagani in hostico conditum diversitatem, exiguum tamen &, ut ex præcedentibus patet, fere unicam. Hinc quoque in rubro dissertationis nostræ, non omnem negavimus differentiam, sed utique admisimus exiguum, h. e. eam quæ saltem est accidentaliter a durationis modo, non vera essentia petita, adeoque non tantam, quantam quidem vulgo statuunt, ubi in momentis quam plurimis differentias satis magnas invenisse sibi videntur.

XXXIV. Ut ut igitur negari non debeat, testamentum pagani sine legitima observatione non aliter valere, quam si in hostico quoque testator decesserit, & sic a testamento militari omnino adhuc differre, nimis rigide tamen hoc accipiendum esse haud existimari. Quod si enim v. c. testator in ipsis castris & hostico testamentum suum fecerit, ibidemque lethaliter vulneratus in vicina loca exportetur, in iisque ex vulnere isto decedat, valere tale testamentum nullus dubito. Sufficit enim, quod in hostico testamentum fecerit, quod ibi sit vulneratus, quod ex vulnere isto decesserit, quodque periculis belli & vulnere ibidem accepto præpeditus testamentum solenne condere haud poterit, id quod tamen concessi privilegii unica erat ratio. An de cetero necesse sit, ut in illo ipso hostico decesserit, an vero sufficiat si ex intervallo in alio hostico & bello, quam ubi testamentum fecerat, moriatur, An necessario ex vulnere in hostico accepto decedere debeat, an vero morbus ordinarius quoque in hostico tamen testatorem invadens sufficiat, has inquam & huius generis quæstiones alias, quippe a præsentis scopo prorsus alienas, nostras in præsentiarum non facimus. Vide interim sis eas apud HARPRECHTUM *Disp. cit.*

XXXV. Hæc igitur est nostra de utroque hoc testamento, & exigua ejus differentia hypothesis, jam ipse perpende, Amice Lector, an ea tanta sit, quanta quidem communiter creditur, quando novem & ultra differentias DD. vulgo conglomerant, quæ tamen ut demonstravimus, omnes si ultimam exceperis, spurix sunt atque fictitix. Totam de cetero controversiam tuo submittimus Candide Lectori judicio, benignam exigui laboris censuram qua decet humanitate desuper expetentes.

Tu igitur fave nobis B. L. & Vale.

Leipzig, Diss., 1727 (H11Q)

ULB Halle

3

005 353 769





4 1/2

IVRIDICA

1727/200

XIGVA INTER
MILITARE ET
VM PAGANI
CONDITVM

3

AM
ORVM ORDINIS
NSV

(4 1/2)

SIDE

GVST. HOMMEL
V. I. D.

ET PRAECEPTORE
VENERANDO

EXAMINI SVBMITTIT

R. MDCCXXVII.

R.

FRIED HOMMEL
TENS.

IAE

MARTINI SCHEDIL

G. Prof. Kistner